



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

IX. Compositus Ignatij animus, suorúmque affectuum Dominus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

summam rem, totamque faustitatem. Sed fuit eius in Petrum Codacium grati animi significatio insignis, & inuitata. Hic primus ex Italis Societatem amplexus est, cuius desiderio, magna Pontificis cui erat percarus, & aula fauentis, magna obsequia, valere iusserat. Societate inita sic eam amavit, tamque sollicitas, & industrias operas in ea Romae sustentanda tam strenue admouit, ut foundationem etiam stabiliret, quae tunc quidem fat esset domui professa, vocareturque Societas religio Patris Petri. Die ergo sacris ritibus solemnibus, expleto prandio, affurgit Petro Ignatius, & aperto coram capite, prolixè gratiam testatur, quam illi tum ipse, tum tota deberet Societas tanquam fundatori. Oblataque illi candela cerea, seipsum vna, & factorum, præcùmque ingentem numerum obtulit; sub quæ multo cum fletu Petrus, acceptum (quando id Ignatius iubebat) cereum, statim post reddidit, addens vel hoc vno quod esset admissus in Societatem mancipatusque diuino obsequio, se tanto ac tam multiplici nomine obstringi, ut nullis officiis partem eius ullam assequi valeret. Nostros porro quocumque proficiscerentur, iubebat cum primum in urbem venissent, illos salutare, a quibus essemus beneficiis ornati, redderèque ab se pia munuscula seu reliquiarum, siue granorum piacularium, aut noui aliquid de nostrorum procul in Dei gloriam egregiè gestis, maximè vero Xauerij in salute Indorum Laborantis; & sicubi aliquid, esse crederetur eorum utilitatibus commodare, nostras libenter postponebat, etiam urgentes & necessarias. Hieronymi Arcei doctoris beneficentiæ, multum Romae debebat Societas, cum vix ab Hispania reducem, lecto morbus grauis affixit: tempestas erat valerudini admodum infesta, & domi agrotabant multi, quorum se vnicè cura pungebat, sæpè aiebat Ignatius, ne tamen amico, & benefico viro, deesset leuamen, quo nullum poterat dari presentius, fratrem valetudinarij custodem ad illum misit, ad futurum iacenti, & ministraturum, nec prius ab eius latere quam consanuisset recessurum. Interea ipse hominem quotidie visere, solari, omni sedulitate recreare. Eundem animum, simulque generosum paupertatis studium tenuit aduersus Andream Lipomatum Venerum, qui fundando Patavij Societatis Collegio prioratum abdicarat, dempto solum quod sibi ad victum sufficeret. Verum Ignatius, totam legitimo Syngrapho, annui redditus dispensationem integrè illi cessit, vetuitque nostros inde vel cicum exigere, eo solum contentos, quod stipis nomine vltro is dare voluisset. Neque id tantum, sed etiam Prioratus summa re distracta, partem fratris eius filio attribuit, ex qua aureos caperet quotannis quadringentos; quanquam factum pius patruus improbauit, nec passus est quod semel Deo consecrasset, ad suos redire.

## IX.

*Compositus  
Ignatij animus,  
suorum quo affectuum  
Dominus.*

At stylum nunc mouent ea virtutum ornamenta, quæ Ignatium in sui cultura fecere mirabilem: harum haud scio an vlla clarior, magisque illius propria, quam illud dominum in animi sui motus imperium, quod eo vique porrexerat, ut passim dicerent qui diu cum illo vixissent familiaris, nihil in eo cerni, ex quo alia vnquam nisi rationis, & virtutis impulsione  
agi



agi videretur : Lainius nominatim, & Frusius, ambo in paucis Ignatio intimi, aiebant in eo motus ingenitos, mutata natura, gratiæ famulari, idque non tam iubente voluntate, quam sponte ac genio naturæ; cum ferè ad modum, quo subuectæ medio cælo aquæ, non sunt tempestatibus, & ventis obnoxia, quibus hæ nostræ inferiores agitantur, sed velut cœlesti ingenium indutæ, cœli motus sequuntur constantes, & ratos. At ei nequaquam aut indoles inerat per sese densior, aut rebus & annis retusa, vel crassiori pituita lentior, etsi hoc diu à medicis creditum : tranquillum id atque immobile natiui ardoris, magno vsu nisi que domiti interpretantibus, ex temperiè frigida progigini, cum è contrario in eo bilis ignita exundaret quam rem inter alios conspicati, magni ingenij doctores, & perspicacia interioris hominis acuti Michaël Turrianus, & Christophorus Madriolius, Hispani ambo, argumentum putarunt absolutissimæ virtutis, motus omnes, alioqui viuaces, sic ad manum habere morigeros, seque ob hoc solum in disciplinam Ignatio, & Societati tradidere; nullo quamlibet nouo, & inopino casu, efferrî prospero, vel aduerso affligi; nihil improuisum, sed quicquid accideret, videri omnia tum pridem animo præcepisse, tum etiam ventura expectasse; omnes illi horas easdem fluere, eundem à prandio qui ab sacro; nulla petendi, agendive seruanda cum eo discrimina; valens an ægrotus; gratiosus an exagitatus; felici an secus nuntio affectus adiretur, nihil quicquam interesse: cuius rei ignarus quidam ex patribus, videns lassum ex patratio post expectatum diu frustra ad Pontificem aditum redisse, negotium distulit, quod erat cum eo tractaturus; moræ huius causam postridie apud illum excusantis, vrbanitatem reiecit tam acriter, vt scribat is Pater se per octiduum, non ausum in eum aspicere, nedum illum affari. Vt vero animo, haud secus & vultu (in quo se tota mens & pingit, & mouet) imperturbatus, & nunquam non idem, ita vt ab suis diceretur, os beati præferre, nimirum vbique, ac perpetuo serenum. Quare illum expleri tuendo non poterat Gaspard de Quiroga Toletanus Archiepiscopus, qui Romæ cum illo identidem egerat. Certum nihilominus, hanc serenitatem interdum nubilo asperasse, nempe cum esset aliquis obiurgandus, in quo sic assimulabat irascentem, vt maximè serio irasci iudicares; at enim vt maris non minus irati, ac susdèque turbati, maiestas pulchra est, ac decens, quam immoti atque compositi, vt inquit Ambrosius, sic erat persona indignantis ab Ignatio assumpta, quæ licet interdum viros graues, verborum pondere ad pedes abiiceret, responsione callos; & fletu confusos; nihil tamen ore præferrebat quod plus dignitatis quam iræ non saperet. Idque ipsum reo abscedente, ponebat illico, veluti ad tempus, deliberato susceptum iudicio, non turbulenta impressione concitatum. Hæc autem sedati animi alta pax, & quies affectuum, quam nulla casuum subitorum insolentia moueretur, fidem facient pauca quæ refero. Adnaturæ aliquando faucibus tumorem fasciola stringi oportuit, hanc dum supra aurem valetudinis curator asueret, eadem punctione auriculam corripit, at is neque sensum doloris, nec

fratris



fratris incogitantiam vlllo motu aut voce testatus, placidè tantum, aduer-  
te sis frater Ioannes Paule, nam etiam fasciæ auriculam confuis. Aliàs quid-  
dam inspecturus quod nostro in rure ad S. Ballinæ ædificabatur, fallente ve-  
stigio summis è scalis præceps ruit, tantòque id impetu vt P. Iacobus Guz-  
manus qui ei socius aderat, actum de illo putauerit, vtpote aduerso pa-  
riete labentis cerebrum contrituro, ac euidenti quidem miraculo inhibitus  
est impetus ruentis, cum esset proximè caput allisurus; sed is magnitudine  
repentini pericali, nec colorem, nec situm animi mutauit, ac ne respexit  
quidem, quod fere assolet, vnde prouisset, sed ita frigidè abiuit, vt si sca-  
lis quam commodissimè descendisset. Die quodam, in doimo piorum ami-  
corum de rebus diuinis colloquente, adfuit anhelus ex cursu nuncius, &  
infusurrauit in aurem nescio quid; bene habet, inquit Ignatius, & hoc so-  
lo remittit; pergitque eodem quo prius tum ore, tum voce per horam in-  
tegram de Deo dislerere. Sub discessum, rogatus ecquid illi triste nuntius  
attulisset, vt qui turbationis aliquid vultu indicaret; nihil admodum, ait,  
nisi quod apparitores ob nomen contractum aliquot nummorum, domum  
nostram tenui sua suppellectile spoliant, verum lectos si nobis auferent, ad  
quietem humus non decrit; neque id pauperes, quales profitemur, & sumus  
dedecebit. Hoc modò ex iis impetrabo si potero, pauca quædam mihi re-  
linquant scripta, etsi nec de iis si valdè obstiterint contendam, habeant  
illa, & iis bene vertant. Sub hæc comites salutans recessit: at Hierony-  
mus Astallus viro sancto coniunctissimus, statim pro illo fideiussit; & die  
insequenti, submisit Deus vnde fieret creditori satis, nam Hieronymus Ar-  
ceus horum prorsus ignarus, ducentos aureos domui professæ pia donauit li-  
beralitate, quibus importunum, & impatiens nomen delerum est. Sed fuit  
alterius haud paulo iniquior, diurniorque infestatio, hic Ignatium, & suos  
nulla quam proferre posset ex causa, perditè auersatus, vt vidit domum si-  
bi vicinam coëmisse, primùm eius attrij partem suis ædibus vsurpare; tum ani-  
mantibus molestissimè streperis implere; inde quæ ipse attrio imminebat, tam  
dirum fragorem excitare, vt habitari obuersa cubiculâ non possent: eum-  
que accersiri triclinio lumen nisi illac non posset; nunquam passus est illic fe-  
nestram aperiri, aded vt totos octo annos, vltra quos etiam hæc concer-  
tatio tenuit, non raro de media die, discutienda nox lucernis fuerit. Quibus  
omnibus id agebat vir bonus, non vt suo tantum morem gereret peruerso  
genio, verum vt Ignatium quoque adigeret ad vexationem indignam &  
barbaram, domus suæ coëmptione redimendam, quam domum nisi immen-  
so pretio nolebat amittere. Querimonias tamen de nostris Roma tota fere-  
bat, sibi per nos viuere non licere, crearique sibi propterea tot tantasque  
molestias vt cum domo pelleremus. Quid plura, eo denique peruenit into-  
leranda vexatio, vt eius vitandæ necessitas, hominis improbi auaritiæ cesse-  
rit, & are quæ stipe, quæ beneuolentia collecto, persolutum domus quod-  
cumque illi ponere libuit pretium. Domo igitur excessit, verum ita nudata,  
vt non eam emptori habitandam, sed hostili prædatione dissipatam dese-  
ruisse



ruiſſe videretur: quicquid ex ea ianuarum, fenestrarum, sectorum lapidum, quicquid ferri diuelli potuit asportauit. Ignatius attamen, nouennio integro pestem hanc importunissimam, tam patiens tulit, vt nec mouerit litem, nec questus sit, nec sensum iniuriæ aliquem, aut offensionis ostenderit: in eam domum quasi gratuito concessam, siue in nudos magis parietes perinde subiit, vt ab omni re commodè instructos. Nec mentis illi, verborum, & vultus constantia leuior, cum anno 1555. turbante Roma ob motus Neapoli surgentes, gubernatorem vr̄bis cum omni apparitura Paulus IV. domum nostram misit scrutaturum armorum copiam, cuius illic absconſæ maleuoli suspectos nos Pontifici fecerant: inspectores enim fronte aperta, & hilari accepit; iussitque à patre qui sibi ab secretis erat per omnes angulos circumduci, viderent, quærerent, explorarent ad imas ab summis adibus, quantum libuisset: vbi cum nec vmbra armorum reperissent, idem qui ante serenus, & alacer, honoris gratia illos ad ianuam deduxit, quasi apud se vr̄bani aditus officioso munere perfunctos. Sed hac diffidenti domus infantis exploratione nihil immutatum, haud adedò mirum sit, cum ne turbandus quidem foret casu Societatis funditus excisa, si Deo sinente quandoque contingeret. Id enim de se non dissimulauit, cum die quodam agrotantem vetarent medici quicquam cogitare, ex quo mœrorem conciperet: hinc enim omnibus quæcumque possent incurere maximè luctuosa ob oculos positus, animoque exactis, nullo sibi eorum motus primos doloris impressum iri professus est, nisi si forte dissiparetur Societas; quod si nihilominus, sua absque culpa euenisset, addebat, se intra quartam horæ partem, collecto tantisper ad Deum animo, tranquillitatem pristinam recepturum, etsi salis instar aqua multa diluti tota Societas defluxisset: erat tamen Societas eius opus palmare & vnicum, maximis laborum, & arumnatum impensis sumptuosum, magnamque in Dei gloriam, & vilitates Ecclesiæ comparatum. Ac illud demum cadit etiam in sanctos, quod pulchrè de Deo Augustinus; etsi enim, ait, de se dicat *cælum mihi sedes est*, cum tamen se ipse sustineat *non sic est in cælo quasi subraçto cælo ruinam sine sede formidet*. Ita dubio procul viris sanctis, nihil potest tam gloriosum, & grande subtrahi, vt illo suo tranquillæ mentis excidant firmamento, quo in Dei vnus solo nutu securi conquiescunt. Quàm verè autem sic de se Ignatius senserit, in obiecto sibi Societatis interitu, palam fuit in creatione Pauli IV. cuius paulo ante facta est mentio: ad primos siquidem illius nuntios, attonito similis (quod vnum in vita commoti animi signum dedit) & cogitabundus, totum sese collegit, quasi multa præfagiens, ac timens; tum sacellum tacitè ingressus, post breuem precationem, ad suos latus vt antea, & vultu exporrecto rediit, atens, habituros amicam pontificem; haud tamen adedò, quin Societatem esset habiturus patientia multa exercitam: euenitque non secus vt dixerat, eius enim dum vixit beneuolentiæ, & austeritatis alternas vices experta est, prout illum suæ mouebant cogitationes, & credulitas quam præbebat, nostra sibi vel

Iſa. 66.

Ps. 113.

cont. 1.



criminantibus, vel dilaudantibus. Erepto quidem viuis Ignatio, lectus in Vicarium Generalem Lainius ab eo primum exceptus est incredibili testificatione voluntatis, seductus in secretum conclaue, familiari colloctione sat diu detentus, demumque magna dimissus comitate; quod cum nostris domi partibus narraret, fuit quorundam ex iis coniectura, suis in celo precibus egisse virum sanctum, vt quæ prædixerat ipsemet, euentu carent opinato, cum iis iniis fundari spes magnæ viderentur: sed enim breui verla scena, cœpit nimium verax sancti vaticinium probari, rediens enim occasione cuiusdam negotij ad Pontificem Lainius, iterum ac sæpius affatu exclusus est, tandemque ab vno ex Cardinalibus in conspectum inductus, & supercilij minacis, & verborum acerbitate hæsit exterritus; libellum tamen porrexit supplicem, quo patronum in quadam Societatis causa postulabat, ad quem Pontifex monosyllabo annuens, & (designabimus) nihilque præterea, Lainium valde sollicitum dimisit. Detonuit postea hæc nubes iussis ad Examen constitutionibus reuocari, num foret iis aliquid vel detrahendum, vel addendum: sed Deo secus providente, nullum res exitum habuit. Lainio autem iam Societati præposito cum aliquot patribus ad se adeunt, vt quem magni fecisset alias, & vero etiam sacra purpura destinasset, peculiarem sensum beneuolentiæ erga Societatem testatus est, beatam appellans, hortatusque ad crucem, fortiter perferendam, vt quæ esset à Deo ad labores, contumelias, & vexationes, mortisque pro Christo, & Ecclesia subeundas vocata. Supremo denique in morbo iam morti proximus multo ampliora tum dixit, tum si vita suppeteret, in Societatis gratiam promisit.

X.  
Ignatij modestia exterior.

Ex tam diligenti, pulcreque dimensa latentis Ignatij compositione, illa eminebat exterioris conformatio vndique castigatissima. Patavij quidem, ex arreptio, cui nec visus vnquam, nec forte auditus, describebatur à dæmone coram Lainio, Hispaniolus quidam, statura infra mediocrem, debilitatus crure, alacribus oculis; erat enim viuaci, & iucundo aspectu, qui lugentem posset & afflictum facile recreare, sed demissis fere incedens luminibus, & velut extinctis, bonam in iis partem repræsentabat modestiæ quæ in illo vbique elucebat, explicabatque florem honestatis, à Matre Virgine acceptæ, cum ab eo Loiola, sensum omnem tulit improba voluptatis, vt de illo idem quod de viro quodam sanctissimo B. Ennodius, merito diceres, ignorasse tamdiu se carne vestitum, donec moriens eam exueret. Huius ornamentum ductum de se præclarum exemplar, nobis exhibuit duodecim regulis comprehensum, quas modestiæ nominavit: iis religiosa vrbinitas fingitur, vocaturis ad Deum homines, plusquam credi possit necessaria, tum quod silens est quædam & fortis oratio quam habet *Philosophia*, *elinguis*, non solo habitu sed etiam exemplo; tum quod, *imago quadam animi loquitur in vultu*. & in quem non valet sese oculus penetrare, hunc iudiciis hominum exterior species exponit. Agendi modesta comitas index est præstantis animæ, habetque vim, saltem in negotio pietatis, nihil ominoram prima fronte, quam illæ in profanis commendatitiæ quas aiebat non nemo

Tert. de pal-  
lio c. 6.  
Ambr. l. 6.  
hex. c. 9.